34.8.D.22

DESCRIPTIUNCULA

AVENIONIS ET COMITATVS VENASCINI.

CVM INDICE Geographico.

EDITIO SECUNDA ET AUCTIOR.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LUGDUNI,

Apud JOANNEM CERTE, in vico Mercatorio ſub ſigno ſanctiſſimæ Trinitatis.

M. DC. LXXVI.

ILLVSTRISSIMO
ac Reuerendiſſimo Domino
CÆSARI SALVANO
PATRICIO SENENSI, PRO Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino ALEXANDRO VII. Pontifice Maximo Rectori Comitatûs Venaſcini æquiſſimo, & integerrimo.

IOSEPHVS-MARIA SVARESIVS Epiſcopus Vaſionenſis S. P. D.

ILLVSTRISSIME, ac Reuerendiſſime Domine. Ad partem non minimam curarum innumerabilium, quæ Sanctiſſimum Dominum noſtrum ALEXANDRVM *VII. Pontificem Maximum excubantem pro ſalute Reipublicæ Chriſtianæ in iſta temporum amaritudine aſſiduè ambiunt, nos pertinere ſplendidè intelligit Orbis terrarum vniuerſus, quando Venaſcinam regionem inter alias Pontificiæ Ditionis Prouincias pernobilem, Anteceſſorum eius in Apoſtolica Sede ſeptem Hoſpitam gratiſſimam, fide ciuium erga S. R. Eccleſiam, pietatéque conſtantiſſimè (interim dum Galliæ, quibus ipſa incluſa eſt, Hæreticorum perfidiâ dilacerarentur) ſeruatâ, inſignem tibi gubernandam demandauit, vt olim Sanctiſſimus Gregorius Magnus regendum adſignabat ſapientiſſimis, & piiſſimis S. R. E.*

Subdiaconis Patrimonium Gallicanum.

Optimus, & Prouidentiſſimus Princeps probè norat egregias animi dotes, quibus inſtructus, & ſummam religionem, ſingularem prudentiam, moderationem eximiam, comitatem admirandam præter illuſtriſſimam antiqui generis Nobilitatem, & opum deſpicientiam. Perſpecta penitùs erat Sanctitati ſuæ Tua Integritas, & Doctrina præcellens, Ingeniúmque viuidum, útque ſcientiarum etiam Encyclopædiâ feliciſſimè confectâ ad Iuris-Prudentiæ verticem pervaſeris, inque Themidis ſinu iuſtiſſima ex illius aditis promis, pandis vi diuina omnésque ſcientiarum principes admittis in ſecretum, politioribúſque literis indulges. Itaque vti cunctas virtutes, ita liberales omnes diſciplinas effulgêre in Te cùm Eminentiſſimus Cardinalis Chiſius Sanctiſſimi D. N. Alexandri VII. fratris Filius, & Legatus Auenionenſis, qui cùm Sanctitas ſua Pontificiam Sollicitudinem partiri gaudet, familiari etiam uſu, & experimento compererit, meritò grauiſſima quæque negotia ſolertiæ Tuæ committit, Tuæque in primis peritiæ innititur.

Ego verò Venaſcinæ Regionis Ichnographiam rudi Mineruâ contextam, ſolocique filo delineatam Tibi offero, cui Tu certiſſima Pharus illuceſcis. En Stadium, in quo decurris inoffenſo pede cum Popularium meorum applauſu ad præmia Tuis Virtutibus, Tuæque Doctrinæ debita, & quæ in dies à Deo præpotenti apprecor & exopto. Excipe, vt conſueuiſti, mea omnia munuſcula, & hoc quidquid eſt Opellæ meæ Habe mei erga Te ſtudij propenſiſſimi perenne monumentum. Vale, Lugduni Idibus Nouembris Anno ſalutis M. DC. LVIII.

INDEX

INDEX
GEOGRAPHICUS.

COMITATVS Venaſcinus,	Comté Venaiſcin.
Langothia, ſiue Anxitania,	Languedoc.
Prouincia Narbonenſis,	Prouence.
Delphinatus,	Dauphiné.
Arauſio,	Orange.

Fluvij ſeu Fluvioli.

Rhodanus,	Rhoſne
Orge ſeu Sorgia,	Sorgues.
Druen?ia,	Durence.
Ouvaſicus,	Ouueze.
Bicarus,	Eygues.
Neſca,	Neſque.
Fons Gratzellum,	Groſeau Fontaine.

Vrbes & Oppida.

Auenio,	Avignon.
Carpentoracte,	Carpentras.
Vaſio,	Vaiſon.
Cabellio ſeu Cauallio,	Cauaillon
Venaſca	Venaſque.
Serenianum	Serignan.
Vallis Orges, ſeu Taurus,	Velorgues, ou le Tor.
Aupeda,	Oppede.
Balma	Baumes.
Inſula	l'Iſle.
Valeriacus	Vaurias.
Abolena	Bolene
Albaruſi,	Aubarroux.
Albinianum,	Aubignan.
Arbores,	Arbres.
Anelero	Veleron
Auriolum,	Loriol.
Baſtida Raimandorum	la Baſtie des Reinauds
Baucetum,	Baucet.
Bedoinum,	Bedoin.
Bellus-Mons	Beaumont.
Biturrita	Bedarrides
Blaunacus,	Blauuac.
Boiſſionum,	Boiſſon.
Bonilij,	Bonieux.
Boſquetum,	Boſquet.
Brantula,	Brantes.
Caderoſſium,	Caderoſſe.
S. Cæcilia,	S. Cecile.
Caſtrum-Nouum	Chaſteauneuf
Calcerium,	Calcernier.
Caſtrum nouum Amici	Chaſteauneuf de Lami

Caduimontes

Caduimontes	Caumont.	*Pons Sorgiæ,*	Pont de Sorgues.
Camaretum, ...	Camaret.	*Podium Alvieracum,*	Puymeras.
Capraria,	Cabrieres.	*Queirana,*	Queirane.
Carumbus,	Caromb.	*Raſtellum,*	Raſteau.
Credulio,	Crillon.	*Recherencha,*	Recherenches.
Fanum S. Deſiderij,	S.Didier.	*Robio,*	Robion.
Falco,	Faucon.	*Roayſium,*	Roays.
Flaſſanum,	Flaſſan.	*S. Romani Malegardiæ,*	S. Roman de Maleguarde.
Fara,	La Fare.		
Gardaparioli,	la Garde Pariol.	*S. Romani Vienneſij,*	S.Roman de Viennois.
Grillonum,	Grillon.		
Interaquæ,	Entraigues.	*Roſſetum,*	Roſſet.
Intercallis,	Entrechaux.	*Rupes Acuta,*	Rochagude.
Ioncheria,	Ionquieres.	*Rupes ſuper Paternas,*	Roche ſur Pernes.
Lazanoua,	Lagnes.		
S. Leodegarij	S.Legier.	*Sabletum.*	Sablet.
Malamors,	Malemort.	*Seguratum,*	Seguret.
Malaucena,	Malaucene.	*Sarrianum.*	Sarrian.
ſeu Malanſana.		*S. Saturnini,*	S.Sauornin.
Malibecum,	Maubec.	*Saumana,*	Saumane,
Mandena,	Modene.	*Taillata,*	Taillades.
Mazanum,	Mazan.	*S. Torquati,*	S. Torquet.
Metamiæ,	Metamies.	*Vallis-Cluſa,*	Vaucluſe.
Minerbia.	Menerbe.	*Vallis-Cuza,*	Vallouze.
Montilij,	Monteaux.	*Vacqueraſſium,*	Vacqueras.
Murmurio,	Mormoiron.	*Vedena*	Vedenes.
Mornatium ſeu Morenatum,	Mornas.	*Villa-Dei,*	Ville-Dieu.
		Viſanum,	Viſan.
Morriria,	Morieres	*Villa,*	Villes.
Palus,	la Palud	*Neomagum,*	Nions.
Paterna,	Pernes.	*Pontiacus,*	Pontias.
Pyla,	Piles.	*Mons-Ventoſus,*	Mont-Ventoux.
Podiolenum,	Piolen.	*Circius Ventus,*	Lo Vent-dret.

IMPRIMATVR.

F. RAIMUNDUS Capiſucchi Ord. Præd. ſac. A. P. Mag.

DESCRIPTIUNCULA AVENIONIS
ET COMITATVS VENASCINI.

DITIO Sedis Apoſtolicæ, ſeu Romani Pontificis in Gallia Narbonenſi, quæ ad Regem Francorum ſpectat, ſita, complectitur Auenionem, & Comitatum Venaſcinum, ab Oriente partem Galliæ ſupraſcriptæ, quæ Prouincia nominatur, attingit, ab eáque diuiditur Monte-Ventoſo, aliíſque limitibus; ab Occidente Rhodanus illam dirimit à Langothia, ſiue Occitania (hæc eſt altera pars eiuſdem Galliæ,) à Meridie Druentia rursùs illam diſterminat à Prouincia, & à Septentrione fluuioli quidam Ouaſicus, Eicarus, & certi fines ab Allobrogum regione (quæ Delphinatus vocitatur) eamdem ditionem ſecernunt. Principatum Arauſionenſem intrà ſe continet,ambítque. Incurrunt tamen hæ Prouinciæ alicubi, ſibíque ſunt inſertæ, nonnulla etiam oppida partim Pontificem, partim Regem Francorum Dominum agnoſcunt, vt Arbores, Rupes-acuta, &c.

Hac in Ditione vnus eſt Archiepiſcopatus Auenionenſis, ſunt & tres Epiſcopatus ſub illo, Carpentoractenſis, Vaſionenſis,& Cauallicenſis.Ex Epiſcopatu Auenionenſis erectus fuit Archiepiſcopatus à Sixto IV.& exemptus Arelatenſi Archiepiſcopatui, cum aliis tribus qui ſuberant illi; ſed & Viennenſi, antequam Prouincia Viennenſis in duas ſecaretur, & iſti Epiſcopatus attribuerentur Arelatenſi. Fuit & Epiſcopatus quondam Venaca, ſeu Vinnauſica, verùm Carpentoracten reductus eſt (vti

ſuſè

fuſè narro in Libris de Clauis Crucis Chriſti) indè tamen nomen mutuatus eſt Comitatus Venaſcinus. Sunt & Baroniæ IV. Sereniani, Vallis-Orges ſeu Tauri, Aupedæ, ac Balmarum. Numerantur inſuper Oppida, & Pagi, vel Arces plus minùs LXXVIII. Indicem profero, & focorum iuxta Chorographias.

Ciuitates.

Auenio	2600.
Carpentoracte	900.
Vaſio	500.
Cabellio ſeu	
Cauallio	800.
Venaſca olim	220

Baroniæ.

Serenianum	180.
Vallis-Orges ſeu	
Taurus	200.
Aupeda	180.
Balmæ	150.

Indicum Sedes.

Carpentoracte	900.
Inſula	700.
Valeriacus	500.

Oppida. Pagi & Arces,

Abolena	600.
Alba-Rufi	150.
Albinianum	150.
Areola Eiroles.	
Arbores	50.
Auclero	50.
Auriolum	
Baſtida Reinardorum	
Baucetum	140.
Bedoinum	500.
Belluſ-Mons	50.
Biturritæ	260.
Blauvacum	
Boiſſonum	20.
Bonilij	540.
Boſquetum	50.
Brantulæ	20.
Caderoſſium	450.
S. Cæciliæ	200.
Caſtrum - Nouum Calcerium	200.
Caſtrum - Nouum Amici	150.
Caluimontes	150.
Camaretum	100.
Capraria	180.
Carumbus	160.
Credulio	100.
Creſtetum	150.
S. Deſiderij	150.
Falco	50.
Flaſſanum	40.
Fara	30.

Gar

Gardaparioli	20.
Grillonum	50.
Interaquæ	170.
Intercallis	60.
Ioncheriæ	200.
Lazanoua	80.
S. Leodegarij	20.
Malamors	125.
Malaucena	400.
Malibecum	50.
Maudena	20.
Mazanum	500.
Metamiæ	70.
Minerbia	150.
Montilij	200.
Murmurio	360.
Mornatium ſeu Morenatum	200.
Moreriæ	30.
Palus	160.
Paternæ	800.
Pylæ	60.
Podiolenum	180.
Pons-Sorgiæ	250.
Podium - Almeraci	150.
Queirana	140.

Raſtellum	80.
Recherenchæ	40.
Robio	150.
Roayſium	15.
S. Romani Malæ-Gardiæ	51.
S. Romani Vieneſij	20.
Roſſetum	50.
Rupes Acuta	200.
Rupes ſuper Paternas	50.
Sabletum	100.
Securetum	100.
Sarrianum	200.
S. Saturnini	40.
Saumana	
Taillata	40.
S.Torquati	
Vallis-Cluſæ	30
Vallis - Ouzæ	50
Vacqueraſſium	80
Vedennæ	90
Villa-Dei	60
Viſanum	400
Villæ	150

Regio feraciſſima eſt tritici, vini, olei, Croci, frugum, & herbarum omnigenarum. Hinc Auenionem à Vineis fuêre qui dictam opinarentur, & Comitatum Venaiſſinum à Venatione; abundat enim leporibus & auibus; ibi eſt aeris mira temperies, niſi quod Circio Vento Topico nubes, nebulaſque pellente perflatur, & concutitur, vt A. Cellius obſeruat, & Petrarcha ſæpè conqueritur; in porrecto ad octo leucas, ſeu XVI. Milliaria protenditur, in fronte ad ſeptem leucas, ſeu XIV. Milliaria

patet, vt è Circini menſurâ comprobatur. Tres ſunt in Comitatu Conuentus Iuridici, ſeu Iudicaturæ, à quibus aliorum oppidorum Incolæ Iura petunt, Carpentoracte, Inſula,& Valeriacus. Vice-Legatus Auenioni ius dicit,& eius vice Auditor, atque Rotæ Senatus, in quo quinque alij Auditores ſedent. eſt autem Legatio Auenionenſis nobiliſſima, & Legatus ibi primùm conſtitutus fuit Franciſcus à Conziaco, imo Vicarius Sedis Apoſtolicæ, (vt eruditè probat D. Eques Samuel Guichenon). Archiepicoſpus Narbonenſis S. R. E. Camerarius à Martino V. Pontifice Maximo poſt ſchiſma, quod Eccleſiam lacerauit annis plus minus XL. totius orbis delecto conſentientibus ſuffragijs. Hic ab Anno Chriſti Nati M. CCCC. XVIII. ad Annum M. CCCC. XXXII. Legatione functus eſt, Auenione obiit, & in Cæleſtinorum
2 Æde ſepultus iacet Alphonſus S. R. E. Cardinalis Carillus Diaconus S. Euſtachij, in Conciliabulo Baſileenſi creatus anno 1433. deceſſit Anno 1434. eique ſuffectus
3 fuit Petrus de Fuxo S.R.E.Cardinalis ex ordine Minorum & ad annum uſque ad 1465. Legationem obtinuit, quo mortuus,in Minorum Auenione tumulatus eſt.Dein
4 Carolus de Borbonio S. R. E. Cardinalis ad 1476. tum
5 Iulianus de Ruuere Cardinalis Auenionenſis Archiepiſ-
6 copus, & Legatus uſque ad 1503. quo electus Pont.Max.
7 Iulius II. dictus eſt. Succeſſit in Legatione Georgius de Ambaſia Cardinalis,& rexit illam ad 1510.mox ab Anno 1511.ad 1514. Robertus de Guibè Nannetenſis Epiſco-
8 pus, & Cardinalis. Inde Franciſcus de Claromonte Cardinalium Collegij Decanus, ad 1541. quo inijt illam
9 Alexander Farneſius Pauli III. Pontif. Max. Nepos Cardinalis, & ea potiùs eſt ad 1565. quo alius Carolus de
10 Borbonio ad Annum 1590.Cardinalis & Legatus extitit. Georgius verò de Armagnaco Cardinalis Collegatus deſignatus turbulentiſſimis, & difficillimis temporibus, dum Hæreſis Caluiniana in Deum, Regémque Francorum

Francorum perduellis graſſaretur, ab Anno 1565. ad 1585. quo vitâ exceſſit, Auenionéque ſitus eſt in Metropolitana, cuius erat Archiepiſcopus, ſucceſſorémque in eo Archiepiſcopatu, reliquit Dominicum Grimaldum, qui Prolegatus, & Militiæ Præfectus, hanc Ditionem ab hæreticorum furore potiſſimùm S. R. E. conſeruauit Anno 1593. Octauius de Aquauiua Cardinalis, Legatus renuntiatur ad Annum uſque 1599. Tum Cynthius. Aldebrandinus Clementis VIII. Pont. Max. è ſorore Nepos Cardinalis ab Anno 1604. ad 1607. Legationi præfuit. Scipio Caffarellus Burgheſius, è ſorore quoque Nepos Pauli V. Cardinalis ab Anno 1607. ad 1621. fuit legatus Ludouicus S.R.E. Cardinalis Ludouiſius Gregorij XV. Nepos è fratre ab Anno 1621. ad 1623. quo ſuſcepit legationes Franciſcus S.R.E. Cardinalis Barberinus Vrbani VIII. Pontificis Max. Fratris filius ad Annum 1633. ſubrogatus eſt illo anno Antonius S.R.E. Cardinalis Barberinus Vrbani VIII. fratris itidem filius ad Annum 1644. Horum eximia in Rep. Chriſtianâ, atq. in hanc legationem præcipuè merita ſæculis omnibus ſunt prædicanda. Camillus Lampſilius S. R. E. Cardinalis Innocentij X. Pontificis Max. Nepos è fratre, deindè, aſſumpſit illam 21. Nouembris 1650. Mox Camillus Aſtallus Pamphilius S.R.E. Cardinalis eóque ceſſante diu illa legatio expectauit Legatum, cujus prudentia quietem optatam ſedatis tumultibus, quibus illa dirè miſeréque dilaniata fuerat conſequeretur, huiuſmodi adepti ſumus Alexandri VII. Pontificis optimi Maximi prouidentiâ, & beneficio Fauium Chiſium Fratris filium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, paterni erga nos animi Principem.

Solent verò Legati Vice-Legatos conſtituere, qui ſtatis diebus cauſas audiunt, litéſque dirimunt. Eſt & Vicarius vulgò *Viguier* à priſco æuo vir nobilis, & ſagatus, & ſub eo Iudices duo, qui Iuridicundo præſunt, imò & Vicesgerens Apoſtolicæ Cameræ Tribunal ſuum ha-

bet, exemptorúmque negotia curat. Vice-Legatus vice Pontificis Eccleſiaſtica beneficia, in Archiepiſcopatibus Auenionenſi, Narbonenſi, Arelatenſi, Vienn. Ebredunenſi, Aquenſi, &c. Epiſcopatibúſque ſubiectis confert, & ſoluit, ſeu diſpenſat ſupplices variis in caſibus. Præſidiis militum Italorum cuſtodia Vrbium, & Oppidorum munitiorum commiſſa eſt, his olim præerat Præfectus Generalis. Sunt & milites indigenæ, quibus ab ærario Pontificio ſoluuntur ſtipendia, olim Caluiniſtis Gallias populantibus, & igne, ferróque deuaſtantibus M.D. pedites, & equites D. cenſebantur, nunc ad paucos redacti ſunt. Sita eſt Auenio ad Rhodanum fluuium celeberrimum inter Lugdunum, & Maſſiliam, & vtriuſque Commercia ſuſcipit Emporij; ſerici maxima ibi copia, in amœniſſima planitie circùm rupem præruptam inædificata eſt, & pulcherrimis cincta muris, ornatáque magnificentiſſimis Eccleſijs à Pontificibus Maximis, & S.R.E. Cardinalibus, qui per annos LXX. & quod excurrit, ibi conſederunt. Palatij moles Pontificij præſertim eminet, quod à Benedicto XII. inceptum, à Succeſſoribus auctum eſt; ſed abſque ſymmetria, & ordine. Michael Hoſpitalius hæc de illa Vrbe cecinit inter alia.

Nil ponte ſuperbius illo
Quem ſubter Rhodanus multis iam labitur auctus
Fluminibus, moles etiam miranda Palatî,
Materia, & ſumptu, minimum aut nihil artis in illa eſt.
At Tibi ſi monumenta placent antiqua, videbis
Felicem Lauræ tumulum, cineréſque beatos, &c.

Erat illa Laura Franciſci Petrarchæ Amaſia verſibus Etruſcis ab eo, Latiníſque decantata. De Ponte fusè doctéque R.P. Theophilus Raynaudus in Ioanne Benedicto agit. Eſt & Auenione Academia præclariſſima, quam Bonifacius VIII. erexit, artium, & ſcientiarum omnium, Iuris in primis Canonici, Cæſareíque ſtudiis notiſſima,

cui

cui Primicerius præeſt. Sunt ſtudioſorum Collegia VII. & totidem Xenodochia, Palatia Pontificis, Archiepiſcopi, Viceſgerentis, Regis Renati, Cardinalis à Mota Pictauenſis, Rhodiorum Equitum, Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochiales præter Metropolitanam. Erant VII Cœnobia Religioſorum, totidémque Parthenones, ſed excreuerunt, VII. quoquè portis (Thebarum inſtar) ad eam eſt aditus. In Auenionenſi Academia docuerunt inſignes Iuriſ-Conſulti Paulus de Caſtro, Andreas Alciatus, Iaſon Mainus, Sannazarius Ripa, Æmilius Ferretus. Sed Auenionem ſatis deſcripſit eloquentiſſimus Andreas Valaderius in Labyrintho Regio, inque M.SS. Operibus, quæ in lucem, Deo dante, animus eſt vindicare. Pontifices in ea ſeptem ſederunt: ſcilicet.

Bertrandus de Guto Vaſco, Archiepiſcopus Burdegalenſis, Peruſij abſens vndecimo menſe poſt demortuum Benedictúm X. Pontifex Romanus Electus Clementis V. nomen ſuſcepit, & Lugduni anno 1305. pridie Idûs Nouembris coronatus de more, domicilium diù per Pictauos & Aquitanos vagum tandem fixit in Comitatu Venaſcino, qui ditionis erat Pontificiæ, & Auenionis, cuius iam portio ad iuſtæ Eccleſiæ Romanæ ſpectabat: Altera verò ad Epiſcopum Auenionenſem, cuíque Dominabatur vti Comitiſſa Prouinciæ, Ioanna I. Regina Neapolitana, & eo nomine Eccleſiæ Cliens, in Comitatu quidem Clemens V. Montilijs habitauit & ad Prioratum de Gratzello prope Malauſanam Diœceſis Vaſionenſis vbi & Palatium exædificauit quod ſemi-rutum viſitur. Auenione verò in Cœnobio Prædicatorum, quod Inſulæ inſtar circumdatum erat Rhodano, donec Burdegalam proficiſcens obijt in Rocamaura 12. Kal. Maij anno 1314. Quia verò Audientia eius Contradictarum ſubſtiterât Montiliis in Diœceſi Carpentoractenſi, Corpus eius eò delatum & indè Vſeſtam Vaſatenſis Diœceſis.

 Iacobus

Iacobus de Euſa ſiue Oza Cadurcenſis poſt Interregnum Pontificium biennij, & trium menſium, octodecim dierum, cum Cardinales Carpentoracte primùm conueniſſent ad Comitia, quia contradictarum audientia Montiliis Diœceſis Carpentoractenſis ſubſtiterat, illiſque Comitiis ob Incendium ſolutis, rurſus Lugdunum congregati In Cœnobio Dominicanorum, ipſi Jacobo tum Portuenſi Epiſcopo Cardinali poteſtatem dediſſent deligendi Pontificem. Is dixit omnium nomine ſeipſum, Ioannéſque XXII. nuncupatus cymbam ingreſſus, Rhodanóque Auenionem deuectus, ibi ſedit in Epiſcopali Palatio quod adhærebat Clauſtro Eccleſiæ Cathedralis; Conſiſtoria verò habebat in Prædicatorum conuentu, nec alibi eum fuiſſe comperio, totis annis 18. quibus ſedem obtinuit, menſibúſque tribus, & 28. diebus, obijt enim Auenione anno 1334. pridie Nonas Decembris & in Eccleſia Cathedrali ſepultus iacet cum Tiarâ duplicis tantùm coronamenti.

Frater Iacobus de Furno è Sauarduno Diœceſis Apamienſis ortus, Ordinis Ciſtercienſis, Cardinalis Tituli Sanctæ Priſcæ poſt quindecim Dies Auenione Electus die 13. Kal. Ianuarias in Monaſterio Prædicatorum Benedictum XII. ſe vocitauit, in Solo ædium Epiſcopalium Auenione Palatium Apoſtolicum extruxit ad Boream quadratum, quod quatuor exædificationibus conſtat. In Porta primaria eius viſuntur Inſignia, Patina nempe Candida farinæ colorem exhibens, vt ſortis Paternæ memoria extaret, filius enim erat Molitoris, ibíque habitauit, inſtruxit id Palatium Viridariis, Pomariis & Turribus, inter quas eminent illa Trulatij, quam vulgo *Tourlias* ſeu Turrim Ligatorum vocant, & alia Sancti Ioannis cognominata, ſupereſt adhuc æs campanum, quod in morte ac Electione Pontificum pulſari ſolet. Obijt eo in Palatio anno 1342. 7. Kal. Maij tumulatus in Eccleſia Cathedrali cum triplicis Coronamenti

Tiarâ

Tiarâ Benedictus XII. incepit ædificare Palatium Auenione eo loco ubi tunc erat domus Epiſcopalis. Boſquetus Epiſc. Montis Peſſulani, *lib. de vit. Pont. Auenion. pag.*43.

Domnus Petrus Rogerij Lemouicenſis Ordinis ſancti Benedicti Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei Tituli faſciola, Nonis Maij eodem anno ad Pontificatum Euectus in Conuentu Eodem, Clemens VI. appellatus fuit, ille anteriorem Palatij partem ſeu Occidentalem curauit extrui cum Sacello inferiori, Auenionem Clemens Regina Ioanna Comitiſſa Prouinciæ anno 1348. coemit mille florenis, ſiue illam partem, quæ ad eam Reginam ſpectabat, cœpitque illam cingere mœnibus nouis; nam vetera Ludouicus IX. ſanctus, poſt obſidionem à Ludouico Patre inceptam, ingreſſus Auenionem, diſjecerat ex ſententia Romani Cardinalis Diaconi Sancti Angeli in Piſcina Apoſtolici Legati quãuis duplicia; Noua verò Mœnia duxit Clemens latiori ambitu à Rupe Domnæa ad Portam Rhodani tantùm, quatuor fornices pontis Auenionis refecit, vti patet ex Inſignibus, 8. Idûs Decembris 1352. Obijt Auenione in Palatio Apoſtolico ſepultus in Cathedrali & Caſam-dei in Aruerniam indè tranſlatus. Ipſe autem Clemens Palatium Auenionenſe ampliauit ferè mediâ ex parte: Capellam maiorem, audientiam, & terracias ſuperiores & conſiſtorium inſuper perfecit. Vita eius apud eumdem Boſquetum *pag.*98. & 99. & *pag.*100. de Auenionis emptione.

Stephanus Alberti Lemouicenſis, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis anno eodem, die 15. Kal. Ianuarij renuntiatus Pontifex à Cardinalibus in Apoſtolico Palatio Innocentius VI. dictus Sacellum ſuperius perfecit & auſtralem Palatij partem, mœniúmque vrbis eam partem, quæ extat, à Sorgiolâ Dominicanos alluente ad Sancti Lazari portam vſque opere ſubitaneo aduerſus Societates Anglorum & Vaſconum Gallias depopulantium, ab

Auenionen

Inædificarunt plura Gregorius XI. & In ſuis obedientiis Clemens VII. & Benedictus XIII. qui tolerauit Ibi cum Catelanis Militibus obſidionem Integro quadrennio, donec Aufugit Oppedam, & Inde Peniſculam cum ſuis Anti-Cardinalibus, vbi exceſſit annos Petri, quia non In ſede Petri. Cum gradus quibus aſcenditur ad ſacellum ſuperius deſtructi fuiſſent, Alexandri VII. Pontificis Maximi, & Emi. Cardinalis Chiſy Liberalitate reparatos fuiſſe eos docet Inſcriptio, Sed ab Libris & monumentis Antiquis hic Imparato ſatis erit hæc delibaſſe, Claudámque hanc Rapſodiam verſu Hoſpitalij Cancellarij Galliarum canentis molem etiam mirandam Palatij.

Materia, & ſumptu minimum, aut nihil artis in illa eſt.

Carpentoracte Comitatus Venaſcini Caput, & Epiſcopalis Sedes eſt, ibi ſingulis hebdomadis habentur Nundinæ, Rector ius adminiſtrat incolis Comitatus. Clemens VII. Gebennenſis, Anti-Papa, & Benedictus XIII. de Luna Succeſſor, mœnia quadrato è lapide excitarunt. In penetralibus Palatij Epiſcopalis, Trophæum peruetuſtum ſpectatur, & Saxea turris ex his, quas extructas memorat Lucius Annæus Florus, poſt victos Allobrogas, & Aruernos à Cn. Domitio Ænobarbo, & Q. Fabio Maximo. In Pace Pariſienſe, ſiue fœdere inito inter S. Ludouicum Regem Francorum, & Raimundum Filium Raimundi Toloſani Comitis anno Chriſti 1228. & Aprili menſe, cui aſſiſtebat Romanus miſeratione Diuina Sancti Angeli Diaconus, S. R. E. Cardinalis, Legatus Sedis Apoſtolicæ, nomine Romanæ Eccleſiæ, diſertè cautum fuit, vt terra, quam ipſe Raimundus habebat in parte Imperij citrà flumen Rhodanum, vt eſt Comitatus Venaſcinus, & omne ius, ſi quod ipſi Raimundo competeret, vel competere poſſet in eo, præcisè *quitaret* (hæc ſunt verba Tabellionis) ſeu dimitteret dicto Legato nomine dictæ Eccleſiæ in perpetuum. Conſtat verò ex eiuſ- l.3.c.

dem fœderis diplomate, iam Romanam Eccleſiam obtinuiſſe citrà Rhodanum terram. Refert Noſtradamus, & aliàs egi copiosè de Patrimonio S. R. E. In Prouincia Viennenſe iam inde à Pelagio Papa, Comperio conſtitutos Rectores iſtius Comitatus à ſummis Pontificibus pro S.R.E. circa Chriſti Nati annos 1235 & 1240. Ioannem Baucianum Archiepiſcopum Arelatenſem, & Guillelmum de Bariolis Epiſcopum Carpentoractenſem, ſed Seneſcallum eidem Comitatui præficiebant Comites Toloſani, nempe anno 1251. Raimundum Gancellini, 1260. Ioannem de Arſiſio, 1271. Guidonem de Valle-Grignoſa, & alios legi Seneſcallos pro Alphonſo Comite Toloſano, donec Gregorius Papa X. Lugdunum profectus ad Concilium Generale, quod indixerat, Comitatum *Venaſcinum* recepit à Rege Francorum, vbi defunctus eſt Alphonſus, cui patruo ſuo Rex ille ſucceſſerat eo etiam in Comitatu: id patet ex ipſius Gregorij Pont. Max. Breui dato Lugduni XI. Kal. Decembris anno ſecundo Pontificatus, inque illo Comitatu recipiendo vſus eſt opera Guillelmi de Matiſcone Capellani, ac Generalis cauſarum Palatij Auditoris. Itaque Guillelmum de Villareto Hoſpitalarium Priorem Sancti Ægidij Rectorem Breui dato Lugduni 5. Kal. Maij anno tertio Pontificatus deſignauit, quod apud Ciaconium exhibetur. Raimundus de Graſſaco Præceptor Hoſpitalis Auraicenſis, eiuſdem Comitatus Seneſcallus pro S.R.E. ad annum 1277. Philippus autem de Berniſſone ad annum 1291. Ioannes de Grilliaco ad annum 1295. Rogerius de Spinis de Florentia ad annum 1300. Iubileum, & alij deinceps pro S.R.E. Rectores enunciantur. Firmauit hanc poſſeſſionem Clemens V. cuius argentei nummi me penes extant, in quibus Veneſini Comes inſcribitur, & incolatu ſuo nobilem Comitatum iſtum Palatio propè Malaucenam conſtructo in Prioratu Sanctæ Mariæ de Grazello Vaſionenſis Diœceſis, in quo habitare gaudebat, illuſtrauit. Moram trahebat

in hiſtor. Prouinc.

Venaſcinum.

de Vi. Pont.

hebat etiam in Diœceſe Carpentoractenſe Montilijs. Clemens verò VI. Papa anno 1348. emit Auenionem à Regina Neapolitana Ioanna I. conſentiente Ludouico Principe Tarenti marito, pretio LXXX. mille florenorum auri. Ad illam enim ſpectabat vti Comitiſſam Prouinciæ Auenio, quæ ab exercitu Ludouici VIII. Francorum Regis (dum ciues Raimundi Comitis Toloſani Hæreticis Albigenſibus fauentis partes proteruiùs tuerentur) obſeſſa, captáque, multis turribus dirutis, mœnibúſque proſtratis deformata, & imminuta erat, eiúſq ie duæ portiones ad Sedem Apoſtolicam deuolutæ iam fuerant, vt alibi demonſtraui. Bzouius in Annalibus Eccleſiaſticis publicauit Chartam emptionis noſtris ex Archiuis depromtam, datámque Auenioni die IX. Iunij. Eidem Clementi, ac Succeſſoribus Carolus IV. Rex Romanorum ius omne ſuum, quod in Auenionem ad Imperium pertinebat, ceſſit Diplomate dato in Oppido Golitzio Kal. Nouembris eodem anno. Incolæ ingenui, ingenioſi, & comes ſunt, piíque, ac Orthodoxi, ea in Ditione vera Chriſti Religio à ſancta Martha Virgine, ac à ſancto Rufo, aliíſque Apoſtolicis viris diſſeminata, & à SS. Præſulibus propagata fuit, & conſeruata, vigétque hactenus, nec vllo Hæreticorum contagio polluitur, aut decoloratur, Nobiles; Mercatores, Artifices, & Ruſtici omnes belli pacís-ve artibus, quibus excelluêre plurimi, addicti venationi pleríque, ac aucupio dediti. *Tom. 14.*

Vaſio Vocontiorum olim opulentiſſima Ciuitas, vt Auenio Cauarum, exſtitit, erant Vocontij gens fœderata Populi Romani, mox ab Hunnis deuaſtantibus, & Gotthis, Burgundis, atque Francis euerſa, dein à Raimundo Comite Toloſano exciſa è planitie, in qua ſita erat, in rupem tranſlata eſt, nunc Oppidum Epiſcopali Sede inſignitum monumentis ſcatet. Gratzelli fontis prægelidi, & pellucidi lymphis irrigatur immiſtis Ouaſico fluuiolo, vnde Vrbi nomen Græcum *οὐασίων* apud Ptolomæum. Valeria- *Mela. Plinius. Iſidor.*

cus in Diœceſe hodie Valriacum peramœnum Oppidum,& primarium,ſuper Oppido Neomago in Allobrogibus Pontiacus Mons Ventò illinc erumpente, agróſque fœcundante illuſtris, cuius originem Bulæus libello pererudito complexus eſt. Ventoſi Montis præcelſi pars maxima Vaſioni adiacet,& velut imminet eius in radicibus; Malauſana frequens oppidum ad Gratzelli Fontem poſitum eſt, Montem Ventoſum Franciſcus Petrarcha depinxit eleganter, & graphicè ſuis in Epiſtolis: at ego Vaſionenſem Vrbem, atque Diœceſim verſibus delineaui; meorum vero Anteceſſorum in Epiſcopatu memoriam renouauit edito Commentario R. P. Columbi Societatis Ieſu Presbyter eruditione, ac pietate clariſſimus. Cabellionem Hoſpitalius ita pangens deſcribit.

Hinc fortunatus longè,latéque patentem
Planitiem, riguos aperítque Cabellio campos:
Haud maiora aliis naſcuntur Perſica terris,
Non ager aut alius fert æquè mitia poma.
Pluribus immiſſus, variíſque Druentia riuis
Prata rigat,duplicem Domino referentia fructum.
Deſuper horrendus ſaxis Mons imminet Vrbi,
Quem veteres coluiſſe ferunt, ſed Montis iniqui
Pertæſos tandem veniſſe ad plana minores.
Hinc etiam antiqui cernas veſtigia muri,
Et vetus inſcriptum Pompeij nomine marmor,
Cætera longinqui deleuit temporis ætas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Eſt in eius Diœceſis Inſula Oppidum Piſcatione Troctarum, ſic eas ſanctus Ambroſius appellat, celebre. Eſt & Vallis-Cluſa delicium Petrarchæ, vbi Sorgiæ Fontem licet admirari, quem nobilem Orges Fontem vocat Plinius. Varios in fluuiolos diſcinditur ille, poſtque Aueleronem vnà ſuſcipit Neſcam, ſeu Nauſicam fluuiolum, vnde Vallis Neſca, ſeu Vinnauſica, & Vendacum

dicta